

R E R V M GERMANICARVM SCRIPTORES

varii,

Qui res in Germania & Imperio sub FRIDERICO III.
MAXIMILIANO I. Impp. memorabiliter gestas
illo ævo litteris prodiderunt.

TOMVS SECVNDVS.

*Bibliotheca Casar. Regii Collegii Soc. Jesu Pragæ ad S. Clementem
inscripta: EX BIBLIOTHECA Anno 1769.*

MARQVARDI FREHERI,

Consiliarii Palatini,

Primum Editus,

NVNC DENO RECOGNITVS.

Curante

BURCARDO GOTTHELFFIO STRUVIO,
CONSILIARIO ET HISTORICO SAXONICO.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOHANNIS REINHOLDI DÜLSSECKERI,
ANNO MDCCXVII.

minatæque sunt, neque animo neque consilio martiali. Quis aut tunicatos mitratosque Turcos, aut braccatos Ægyptios timeat? quos Rapsaces ad Ezechiam Regem loquens baculo arundineo confractoque comparauit. Sarmatica erunt spolia sine sudore & sanguine. Multa notauit Cæsarea Maiestas, cuni transmarinas partes lustraret, quæ spem certissimam victoriæ præbent, suoque tempore patefient. Nec moueri debemus, quia nostri nonnunquam exercitus ab illis victi deletique sunt. Nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritia, sed nostris peccatis ascribendum est. Quod si emandati fuerimus, rectaque mente Christi causam defensori bellum susceperimus, nihil de victoria fuerit hæsitandum: quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Iuvabunt & nos tum diuisiones illorum, tum odia, quæ cum Tartaris habent assidueque certamina: iuuabit & gentis illius desperatio. Nam Mahumetum, cui maxime credunt, sectam suam in Octingentos usque annos augendam, exinde minuendam, astruunt prophetasse. Is autem sub Eraclio Cæsare malignari occepit, post quem supputantur anni quadraginta & octingenti. Quæ res terrorem non paruum Turcis, spem Christianis adiicit, nam etsi pseudopropheta Mahumetus est, non tamen falsum vaticinium dici potest, quod sacris Hieremiæ sermonibus quadrare videmus. Hieremias enim primo & quinquagesimo capitulo, quasi tuam sanctitatem & Cæsaris Maiestatem aduersus Mahumetum suscipere bellum hortatur; *Nolite, tacere inquit, super iniquitatem eius: quoniam tempus ultionis est Domino: vicissitudinem ipse tribuit ei.* Possemus ad hanc rem plura deducere: sed neque doctissimis tuis auribus, neque præclaris sapientissimisque patribus, qui assident, quique astant, donanda sunt verba. Satis est nobis absoluisse, quæ promissimus, & quæ Cæsarea sublimitas mandauerat, exposuisse. Intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram mentem. Verum quamuis examen Imperatorium sic de Passagio sentiat, totum tamen & consilio & iudicio tuo relinquitur, qui ligandi solvendique clauis accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes iam cum Christo regnantium; cuius est inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram iudicare. Cæsar cum esset, hac vice apud tuam Beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere; quæ sibi adhuc in minoribus constituto atque ab ineunte adolescentia semper cordi curæque fuit. Alius fortasse vel Generale Concilium, vel Reformationis decreta petiuisset, sed quod maius Concilium potest, quam tuæ Sanctitatis tuique sancti Senatus præsentia: frustra Concilium petit, qui Romani Pontificis mandata, non recipit. Vbi tua sanctitas est ibi Concilium, ibi Reges, ibi mores, ibi decreta salubrisque Reformatio. Cæsari susceptis Imperialibus infulis, tuæque sacra manu coronata, nihil hoc tempore visum est antiquius, quam de Passagio, tecum agere. Quod si fortasse prima fronte videtur arduum, nihil est tam difficile, quod querendo non fiat facile. Asperis in rebus, & vir noscitur, & gloria queritur. Quæ magno animo fortiter excellenterque geruntur, nisi quodammodo pleniori bucca laudare solemus? difficiles aditus virtus appetit. Clari & illustres sunt tituli tui, gloriosissime Præsul; qui unionem feceris, Jubilæum induleris, Cæsarem coronaveris. Passagii tamen titulus, & dignior & diuturnior omnibus erit. Quem ne Successori relinquo & Cæsarea pietas suadet, & omnis Christianitas orat. Nam tibi iam coronato Cæsare, quamvis multa incumbant magna & alta negotia, nihil tamen est, de quo vel utilius agere vel gloriosius, quam de Passagio, valeas. Amen.

V.

THADEI QUIRINI, PATRICII VENETI, AD P. 28.
FRIDERICVM III. ROM. IMP. NOMINE SUÆ REIPUB-
LICÆ, ORATIO GRATULATORIA.

CVM multa sint , gloriosissime Cæsar Auguste , quæ ab immortali DEo nostra
Resp. summis assiduisque precibus ac votis sibi dari optasset , nihil profectò
maius-

p. 29. maius , nihil optabilius ei contingere posse existimauit , nihil ardentius expetiuit , quàm vt tu & Augustissima Imperatrix vxor tua eam inuiferetis , & vestri nominis splendore ornare ac illustrare dignaremini. Dicit enim non potest , quanto-
 pere non modò senatus ipse ac Princeps , sed omnis sexus , omnes ordines vos intueri , suscipere , cum cultu & obseruantia prosequi concupiscat , vt ad declarandam animi lætitiā non satis vultus , non oculi , non notæ sufficiant vires. Nam cum suapte natura nostra Resp. omne hominum genus , tum imprimis Principes & Reges munificentia , humanitate & amore prosequuta sit ; vos qui principum principes & Christiani nominis splendor estis , quibus honoribus , quibus lætitiæ signis , quibus humanitatis & munificentiae modis prosequetur , complectetur , extollet ? Quod cum ita sit , serenissime Imperator , quo gaudio , qua lætitia aduentum hunc vestrum expectasse nos existimatis ? qui honores , quæ dona , quæ munera Principum , Regum , populorum cum hoc nostro studio comparari possunt ? Nam si superioribus temporibus , prima illa tua ætate (quod meminisse debes) libentissimè te vidimus , cum in Syriam euntem omni indulgentia & honore prosequuti sumus ; quo studio videndi tui ciuitatem flagrare existimas , cum eundem te insignibus Imperii ornatum ac condecoratum , & tanta affinitate auctum , Principem Christianæ religionis , ac defensorem huius nostræ ciuitatis à stirpe antiquissima amicissimum , non solum visura , sed etiam acceptura sit. Sed cum omnibus de causis nostra ciuitas meritò exultet , ac lætitia diffuat , (auidè enim , quæ summa sunt , ab omnibus expectantur : nihil autem maius humanis in rebus tua Maiestate omnes existimant ?) tum verò nulla re tantopore commouetur ac studio tui incenditur , quam quod summam tuam ergo Remp. nostram voluntatem ac propensissimum studium recognoscit. Vidit enim ac intelligit , inuictissime Cæsar , te cætera Italiæ loca , vrbes , regiones necessariò accessisse ; in hanc tantum Urbem studiosè ac libenter diuertisse : & cum alia via in patriam redire posses , indignum vetere necessitudine & antiquissima amicitia existimasse , conspectus ac regiæ Maiestatis tuæ fructum , quem libenter omnibus impartisses , illis potissimum denegare , qui laudis , decoris , honoris , gloriæ , magnitudinis , amplitudinis , maiestatis tuæ cupidi fautores semper extitissent. Quod quidem tuum erga Remp. nostram studium , animum , voluntatem quanti eum ab omnibus , tum verò à Senatu atque ipso Principe fieri putas ? DEum quendam mihi crede è coelo hodie delapsum & ad se demissum nostra Resp. arbitratur. Quid quod augustissimam vxorem tuam , quam tecum per ea quæ adieras Italiæ loca semper duxisti , separatim ad nos præmittere studuisti. Quod illud & quantum amoris , fidei erga nos signum ? Maiorum tuorum constantiæ , beneuolentiæ , fidei erga hanc Remp. permulta monumentis atque animis nostris signa & documenta reposita & consignata habemus : sed hoc certè maximum , quo cætera confirmata sunt , quod quos principes tui in Italiam aduentus exceptores habuisti , eosdem gloriæ , splendoris , ornamentorum tuorum , & consummatæ felicitatis spectatores , & congratulatores postremos esse voluisti. Huius igitur communis gaudii & publicæ lætitiæ nuntii ex senatorum numero xx. ad Imperatoriam Maiestatem tuam præmissi sumus , tibi quæ & fortunæ ac serenitati tuæ non solum pro confirmato & aucto Imperio publicè congratulamur , sed omni laude prosequendum putamus. Quod enim seculum , quæ posteritas non celebrabit , non recordabitur Fridericum tertium Imperatorem maximum ita in Italiam descendisse , vt cum omnis Italia discordia & bello flagraret , adeo tranquillè , adeo quietè atque amice ab omnibus populis , Principibus , Regibus acceptaretur , vt non Rex externæ gentis ac nationis , sed eiusdem regionis dominus , & quodammodo communis quidam omnium gubernator ac rector charus acceptusque venisse videretur ? Atque hoc non eò dico , quod non ita fieri debuerit (nam Imperium Romanum tuum est , aut quorum maiores tui , aut tu esse voluisti) sed quod rarò superioribus temporibus , memoria certè nostra & parentum nostrorum nunquam accidit. Nam ceteri Reges cum in Italiam venissent exercitu adducto aut quasi ho-

stes eam diripuerunt atque incenderunt, aut discordia flagrantibus rebus cum alteri parti se adiunxissent, seditionem potius in Italiam attulisse quam communi otio & Imperii salutis consuluisse viderentur. Quod cum abs te secus factum sit, serenissime Imperator, quis vel non sapientiam tuam laudabit, vel fortunam admirabitur? Equidem sic censeo, atque adeo censent civitatis nostræ Principes religionis tuæ conficii & prædicatores, factum hoc fuisse diuinitus, ut qui tantam animi pietatem ab initio ætatis præ te tulisses, qui religionis studio cursus ac navigationis periculum, tot discrimina hominum locorumque sponte excepisses, ei potissimum Imperio præficere, quod nominis Christiani salutem ac magnitudinem, cultum, religionemque tueretur: & cum tranquillè ac leuiter nomen tuum constituisses, tum si quid rerum humanarum vitio, aut temporis vetustate prolapsum esset, quietè ac sine ullo belli strepitu, Christianeque (ut ita dicam) restitueres. Nihil enim Christianum non modo Imperatorem, sed hominem magis decet, quam huma- p. 30.
nitas, lenitas, clementia, pietas, fides, caritas: quæ omnia quum ita in te eluceant, ut à natura insita atque innata esse videantur, quis te, nisi fortè invidus & obrectator, summis laudibus non efferat? quis non admiretur? Quis (si fieri posset) non modo perpetuo videre, sed in Italia retinere cupiat otii, quietis, tranquillitatis studiosissimum, improborum, irreligiosorum, seditiosorum inimicum? Nos vero non solum te laudamus, sed vehementius admiramur, nec hoc fortunæ tuæ tribuimus, sed diuinæ providentiæ assignamus, quæ talem te esse voluit, ita instituit, cum delegit, qui & communi Christianorum salutis & decori consulere, & eius honorem ac cultum tueri ac conservare velles ac posses. Sed ne multus sim atque aliquando concludam, sacratissime Imperator, ita tibi persuadeto, quod ab initio dixi, lætum ac faustum hunc diem huic civitati illuxisse, quo te ab omnibus infimis, mediocribus, summis sic celebrari, sic videri, sic accipi cernes, ut non aliàs te vidisse, sed DEum quendam in Urbem nostram accessisse putent, atque omnes ita iudicent, te cum cæteras Italiæ civitates libenter adieris, huic uni potissimum ac maximè indulgisse, quam duplici lætitiæ genere afficere volueris, & augustissimo vxoris aduentu, qui nobis optatissimus est, & tuo. Veni igitur, serenissime Imperator, læto animo in eam Urbem, quæ etsi amplitudinem tuam capere vix potest, ac certe voluntate complecti potest. Vbi si quid desideraueris, si non omnia quæ Maiestas tua meretur, suppeditata esse videbuntur; id non voluntati, sed imbecillitati nostræ assignabis. Omnia certe quæ nostra sunt, summa, parva, mediocria, tua esse volumus: hæc tibi publice offerimus, atque omnia deferimus. Vnum illud certè persuasum tibi esse volumus, quod minimè dubitamus, cæteris rebus fortasse ab aliis non potuisse vinci, studio certè erga te, animo, voluntate, non modò cæteris non cessasse, sed cum tuis etiam contendisse.

VI.

*ALIA ORATIO, PRO VICARIO CREMONÆ N.
AD EUNDEM IMP. FRIDERICUM ADVENTANTEM HABITA, PENES LAURETUM, XIII. KAL.
JUN. MCCCC LII.*

SVMMA Deam atque virginem Mariam, ex qua Christus mirificè natus est, * ab his opem expostulo, fer opem summe rerum, fauete superi reliqui, ut quæ mente concepi, dicturus ad summum terrarum Principem, gratè possim in hac corona exprimere. Tuque Cæsar annue, & benigna fronte exhibe te nobis, ut quod rei magnitudine efficere non confido, instante tua benignitate ac clementia audeam. Dicam ergo, clementiæ tuæ iudicio conservati sumus, enarrabo etiam clementiam tuam ac virtutes, quæ te ad tantam altitudinem eucere: subinde perditionem ac schisma fermè totius populi Christiani, à quibus subtraxisti & conservasti nos: Demum singularem tuam victoriam. Dabo tibi præterea verbis eius honorem hunc quem flexum vides, pro quo siquidem iussus ad te oro. Cuius quanta